

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae III.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Marcelli] Consulis.

Impetus] De successore Caesari in Gallias mittendo. epist. 1.

Refederunt] Quieverunt, sedati sunt. Tusc. 3. c. 12. *Cum tumor animi resedisset.*

Consilio] Quod, aduersari suis consiliis alterum consulem Sulpicium cum intelligeret, exitum rei desperaret. ait enim Suetonius in Iulio c. 29. *Summa ope restitit, partim per intercessores tribunos, partim per Seruicum Sulpicium, alterum consulem.* Et Epitome Liviana lib. 108. *Contentiones inter consules, de successore C. Caesari mittendo.* Hirrius autem lib. 3. de bell. Gall. c. 53. *Marcellus proximo anno, cum inopugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi, retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis; sententisque dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris invidia querebat, senatus frequens in aia omnia transiit.* Cicero etiam lib. 4. epist. 1. 2. 3. ait eum defensorem pacis in consulatu fuisse.

Incertissima est existimatio] Prorsus ignoratur, qui consules futuri sint.

Ego] Petebat hoc anno Coelius, et obtinuit aedilitatem.

Nobilem] C. Hirrum, qui nondum aedilitis auguratum cum Cicerone consulari petere ausus erat.

Nobilem agentem] Non vere nobilem, sed qui se nobilem fingeret.

M. Octavius] Qui cum Coelio aedilis curulis videtur creatus. lib. 5. ad Attic. epist. 21.

Cn. F.] Patris non en addit, vt eum Cicero agnoscat. ex quo patet de eo dici, non de Hirro, *nobilem agentem.*

C. Hirrus] Luceciae gentis. nominatur in senatus consulto epist. 8.

Propter Hirrum] Cuius repulsa nuncium auide a te exspectari scio: cur? quia Ciceronis competitor fuerat in auguratu. epist. sequenti, et 9.

Pantheras] Quas e Cilicia mitti a Cicerone cupiebat, vt eas populo suis ludis daret. binos ludos aediles dabant, Megaleia, et Romanos: in quibus varia bestiarum genera, maximeque si possent, inuicta, quo populus iucundiore spectaculo frueretur, offerebant in iis pantherae fuere, Africanae, et Graecae, id est ex iis regionibus aduectae, quarum incolae Graece loquerentur: in quibus Cilicia, Ciceronis prouincia, fuit. ideo epist. 6. *turpe, inquit, tibi erit, pantheras Graecas me non habere.* epist. 4. 8. 9. et lib. 2. epist. 11. et lib. 5. ad Attic. epist. vii. lib. 6. ad eundem epist. 1.

Syngrapham Sittianam] Ex qua exigeretur a Sittio pecunia, quam in aedilitatis impensas Coelius erogaret. epist. 4. 8. 9.

Commendo] Ne solutio differatur.

EPISTOLAE III.

ARGUMENTVM.

Principium epistolae morale est. significat enim Coelius et suam in scribendo diligentiam, et quo Ciceronis, absentis desiderio teneatur. Deinde

Deinde ad negotia sermonem conuertit. Se certio rem Hirro candidatum esse ait: Phil-timum absenti Miloni satisfacturum: valde sibi gratum fore, ut cum suis Cicero scriptis ornet.

EXPLANATIO.

[Esne] Quam acuto atque urbano Coelius ingenio fuerit, ex epistolarum principijs intelligitur: salis enim aliquid omnia fere habent. *Esne?* inquit: non id praeflo, quod tibi discedenti promiseram, quod tu fore negabas, ut crebro litteras mitterem?

[Vici] Quasi contentio fuerit inter eos, cum Coelius de litterarum crebritate affirmaret, Cicero negaret.

[Delectem otium meum] Quam ratione, quod vacui temporis conceditur, iucunde traducam, non habeo. *Otiolum* vocauit, ut occupationes ostenderet suas, de quibus etiam in epist. 1.

[Vacanti] Non-occupato, cum vacarem a negotijs, cum vacuus essem. sic Cicero lib. 12. epist. 50.

[Id oti tempus] Id temporis, dum otiosus eram.

[Sed Romae] Ut non mihi soli, sed vniuersae civitati, te absente, solitudo videatur esse.

[Et qui — discernitor] Plautina sententia in Capt. Act. 1. Sc. 2. v. 39.

Tum denique homines nostra intelligimus bona,

Cum quae in potestate habuimus, ea amissimus.

[Curat] Argute, nam, quia cum Cicerone coram de Hirro iocari, eiusque ineptias ac stultitias ridere cupiebat, ideo *curat*, inquit, *Hirrus*, ut te dies noctesque quaeram. Plus autem est *curat*, quam *facit*,

aut *caussa est*: quasi dicat: in hac petitione ita multa agit inepte, ita stulte, ut curare de industria videatur, ut ego tecum sim, quo illum ridere possimus.

[Auguratus] Augur Cicero fieri noluit ante exilium suum: reuersus in patriam, ne calamitas dignitatem eius minuisse videretur, stultum quam ornata senatus populi que Romani de se iudicia intercedere: quod ipse ad Catonem scribit lib. 15. epist. 4. Augur autem in locum P. Crassi, Marci filii, a Parthis interfecisti, creatus est, Plutarcho teste: nominatus, de more, a duobus auguribus, Pompeo Magno et Q. Hortensio oratore. Phil. 2. c. 2. et in Bruto c. 1. qui fuit annus urbis DCC. Domitius et Metellus coss.

[Nam mea] Nam mea quidem causa ideo minus cupio, quam tua, quia, si aedilis fiam, forsitan cum locupletiore referam, id est, cum aliquo fiam, qui diuitijs Hirrum superet: quod e re mea non erit. opibus enim certandum erit in sumptu ludorum. Aediles curules ludos dabant magnificentissimos. lib. 2. de Orat. c. 16. et pro Murena c. 19. et Valerius Max. lib. 2. c. 4.

[Illi] Ut ille repuliam ferat.

[Sed tanti] Tantine, dices, hoc est, ut, si acciderit, propterea nobis tota vita risus deesse non possit? incherceule tanti est. ita enim multa, quae merito rideantur, quotidie committit, ut inde nobis perpe-

perpetuam ridendi materiam capere liceat.

Eorum odia, quae Hirrum premunt] Si dixisset, *ea odia*, vitate dixisset: cum vero dixerit, *eorum*; Latini sermonis ratio, *qui*, postulat potius quam, *quae*. Sed est hoc Coelianum dicendi genus, id est plane durum et asperum, notatum etiam, ut iam ostendimus, a Quintiliano et Tacito. Eandem solocismini speciem agnosco in epistola sequenti, cum dixit: *In evitandis his consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum*. Quo in loco postulabat usus Latinae linguae, *in evitandis eorum consiliis*. Verum, qui ea legerit, quae de Coelii eloquentia, ante huius libri interpretationem, ex antiquorum testimonio praefati sumus, accuratam a Coelio dictio- nem valde non expectabit.

Subleuat] Licet Octavius gratia non valeat, non ideo tamen fit, ut ea, quae Hirrum premunt, odia minuantur. optabile solet esse, ut competitorum non gratiosum habeamus, quo facilius ad nos populi studium inclinet. hoc Hirro contingit, ut inops ab amicis et estimatione sit Octavius: nec tamen ideo, quae Hirrum premunt, odia levantur.

Philotimi] T. Annius Milo, quo tribuno plebis praeter ceteros adiuvante in patriam ab exilio Cicero redierat, anno proximo de vi reus ob necem P. Clodii, cum legis poenam, id est, exilium, bonorumque omnium publicationem timeret, cepit hoc, auctore in primis Cicerone, consilium, ut, si iudicio damnaretur, quam damnationem publicatio bonorum sequebatur,

eius bona Philotimus, Terentiae Ciceronis libertus, in auctione emer- ret, ea conditione, ut, si quando ipse recuperandi facultatem nactus esset, Philotimus restitueret, ipsique Philotimo tantum pro fide ac sedulitate, quasi mercedis loco, Milo persolveret, quantum Cicero aesti- masset. quod Coelius a se curatum scribit, Ciceronis, opinor, litteris rogatus, ex itinere missis. nam Brundisii cum esset, hac ipsa de re sic ad Atticum scripsit lib. 5. epist. 5. *Roma acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriam meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri volui de C. Duonii sententia; quem et antecessum Miloni perspexeram, et talem virum, qualem tu indicas, agnoram*. Et paullo post: *Philotimus, ut ego ei coram dixeram, mihi quoque ille receperat, ne sit invito Milone in bonis*. Nunc ad Coelii verba veniamus.

Liberti] Terentiae, Ciceronis vxoris. lib. 6. ad Attic. epist. 1. et 3. et alibi.

Officium] In conservandis Milonis bonis magna fide ac sedulitate.

Bona Milonis] Ut Miloni restituerentur; quod et ad Atticum antea, ut ostendi, et, opinor, ad Coelium scripserat.

Dedimus operam] Tum, ut Ciceroni obsequeretur, id per litteras roganti; tum etiam, quia Milonem ipse diligebat: quem antea tribunus plebis de vi reum ob necem Clodii, defendit acerrime. Cicero pro Milone c. 33. Pedianus,

Quam honestissime] Fuit enim honestissimum, ac maxime decuit, ab eo satisfieri Miloni absenti, id est